

THEORIA METAPHYSICA

De

BONITATE
TRANSCENDEN-
TALI,

Quam

SUMMO BONO CLEMENTER ANNU-
ENTE AC PROMOVENTE

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO ATQVE EXCEL-
LENTISSIMO

DN. CHRISTIANO TRENTSCHIO,

Logices & Metaphysices P.P. longe celeberrimo,

COLLEGI PHILOSOPHICI DECANO SPE-
CTABILI,

*Dn. Præceptore ac Promotore suo omni observantia
cultu perpetim prosequendo.*

in

ALMA LEVCOREA

Liberioris exercitii gratia publice ventilationi

subjicit

CHRISTIANUS FASELTUS

Oberaviensis Misnicus.

AUTOR & RESP.

*In Atrio Majori, Ad diem 30. Martii Horis
antemeridianis.*

Literis Hæred. MELCHIORIS OELSCHLEGELII,

ANNO M. DC. LIX.

a. c'XXII. 54.

49. 71.

oll. diss. A
22, 54

THEORIA METAPHYSICA

10

BONNITATE

RAISSONNÉ

Sächs.
Landes-
Bibl.



בְּשֵׁם לַיהוָה

Περὶ αὐλίου.



Uàm late illa à necessitate & utilitate nominatissima disciplina METAPHYSICA, sese diffundat, non ignotum est doctis. Hæc enim est, quæ, ut censet B. Dn. D. Jacob. Mart. in Exerc Metaph. in dedic. p. 16. nos ab ignorantia morbo liberat, quæ nos à plebejà Sapientiã ad abstrusissima quæque promovet, quæ titubantes in constantissimas scientiæ certissimæ rupes deducit, quæ, ut scire quid possimus & bene scire, facit. Quid! imò hæc est, quæ à Theologia studioso appetenda maximè, quia sine hâc in divino hoc studio & studio felix facilisq; fieri progressus vix poterit. Hinc etiam Alstedius Metaph part. 1. c. 1. non minùs pulchrè quàm verè scribit: Metaphysica Theologo est potissimùm necessaria in tractandis quæstionib; mixtis, id est, talib; in quibus occurrit terminus Metaphysicus una cum Theologico. Cùm ergò ita comparatum sit, ut Metaphysiçæ usus in Theologiã tam late pateat operæ pretium me facturum speravi, si thema istud de BONITATE, pro ingenii mei macie enuclearem & in disputationis scenam & arenam liberalis exercitii gratiã producerem. Ob hujus enim doctriinæ ignorantiam olim Manichæi in pessimam hæresin inciderunt & absurdissimos errores invexerunt. Ut itaque cognitio præsentis materiæ eò tenacius inhereat, quàm quod Zephyri prætervolantes eam avellant, perfectius innotescat, quàm quæ dubitationum & tenebrarum puteo immersa lateat, majoris fiat, quàm quæ cum quisquiliis & evanidis nebulis concertet, Deum, omnis Boni fontem & scaturiginem

ginem, rogamus supplices, ut suo nobis praesto sit spiritu, & Ignorantiae tenebras dissipet, mentem nostram aperiat, voluntatem dirigat, quò Veritati unicè inhaereamus; omnem verò falsitatem errores & laqueos quosvis Adversariorum dolosos, fugiamus, declinemus & omni conatu removeamus. Sit igitur absque longiori verborum praeludio.

THEOREMA I.

Bonitas est affectio Entis unita.

ΕΞΕΛΙΞΙΣ.

Maxima subtilitatis pars in libris sapientum est Oeconomia, inquit aliger ille Scaliger Exerc. 303. sect. 9. Cujus dicti ut & nos habeamus rationem, Bonitatis existentiam, priusquam ad ejus essentiam devolvamur, praemitemus. Philosophus enim, l. 2. post. 8. dicit: τὸ γὰρ ζητεῖν ἢ εἶναι, ἢ ἔχοντες, ὅτι εἶναι, μηδὲν ζητεῖν ἐστὶ. Dari autem bonitatem transcendentalem, probamus tum autoritate ipsius Philosophi, tum rationibus. Philosophus lib. 1. Ethic. Nicom. c. contra Ideam Boni Platonica militans dicit: Bonum totidem modis dici, quod modis Ens, Nam & in Substantia dicitur, ut Deus & Mens, & in qualitate, ut Virtus & in eo quod est; ad aliquid, ut utile, & in tempore, ut occasio. Rationes verò, quibus Bonitatis confirmatur, existentia, sunt: [1.] quia Bonitas hæc eadem est cum essentia uniuscujusque. Hinc ita concludimus: Si unaquæque res habet essentiam, habebit etiam Bonitatem essentialem. At prius est verum, ergo & posterius & per consequens bonitas in rebus datur. [2.] quia omnia Entia creata ab increato dependent: Jam vero Ens increatum est bonum; nisi enim causa prima bona esset, frustra effectum aliquem postulares bonum. Ergo creatum erit bonum, quia ab increato dependet. [3.] quia quàm certum & experientia cognitum est, ferri res omnes ad aliquid, cum appetitu desiderii, tum etiam complacentiæ, tam etiam notum est, esse bonitatem in ipsis rebus. Adeoque ad oculum apparet, quòd Bonitatis existentia ne utiquam neganda sit.

§ II. UI.

§. II. Ulterius nunc in Theoremate nostro progredimur, & probamus etiam quod Bonitas fit affectio Entis. In transcurso autem notamus quod affectio hoc loco non sit certi ac determinati cujusdam Entis, sed indeterminati, indifferentis & transcendentalis affectio. Bonitatem autem esse affectionem, colligimus [1.] ex eo, quia verè competit Enti. Ista vero competentia non nisi transcendentalis est & affectiva idcirco veram Entis affectionem constituit. [2.] quia Bonitas omnia prædicata sua latitudine transcendit, cum in omnibus prædicamentis locum invenit, nullibi tamen pedem figit. Illud autè quod omnia prædicamenta transcendit ad Ens universalissimum tanquam certum attributum est referendum. [3.] quia ab Ente differt formaliter: Nam dicit aliquid, quod Ens inadæquatè sumtū non importat. [4.] quia Ens more Paronymorū denominat, quod non est de intrinseca ratione atque essentia Bonitatis. Definitionem enim Bonitatis non ingreditur nisi tanquam additum, saltim nostro concipiendi modo, sicut alias etiam Subjectum non potest esse de essentia & conceptu quidditativo passionis. Secundum rem quidem Bonitas essentialiter & Synonymicè dicitur de Ente, sed non quantum ad id, quod addit supra Ens, vel objectivè & realiter non secundum modum concipiendi nostrum & formaliter. [5.] quia Bonitas verè inest Enti, licet non quoad accidentalem inhærentiam, tamen quoad realè competentiam. Hæ ergo & aliæ conditiones firmiter concludunt, quod Bonitas fit affectio.

§. III. Denique dicitur etiam in theoremate nostro, quod Bonitas fit unita entis affectio. Quod autem sit, patet ex requisitis unitarū affectionū. Cuicunq; enim conveniunt requisita unitarū affectionū, illud etiam inter affectiones unitas est numerandum. Atqui Bonitati conveniunt requisita. E. Major est certa & indubitatè vera. Minor probatur, quia Bonitati [1.] competit Distinctio, quæ primum est requisitū unitarum affectionum; Bonitas enim formaliter non coincidit cum Ente, sed diversa est ab Eo, quia in suo conceptu eam non includit [2.] Immediata denominatio; siquidè Bonitas

nitas non mediatè, sed immediate Ens denominat. e. g. O.
 Ens est bonum. Ibi nullum datur medium inter Ens & Bo-
 num, sed Ens simpliciter & immediatè bonum denomina-
 tur. [3.] solitaria consecutio etiam Bonitati tribuitur. Boni-
 tas enim cum Ente reciprocatur in sensu unito ac solitario
 citra oppositum, hoc est, sub uno conceptu sine disjunctione,
 & non sub oppositionis respectu E. relinquitur, quod sit uni-
 ta Entis affectio. [4.] Reciprocatio seu conversio de Bono
 prædicatur. Ita enim *Aristot. lib. 1. Ethic. c. 6. scribit: Bonum &*
Ens ex æquo de rebus omnibus dici; Si autem ex æquo dicuntur,
sequitur, quod inter se reciprocantur, & si reciprocantur,
sequitur, quod bonitas sit unita Entis illius affectio. καὶ
ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

THEOREMA II.

*Bonitas est, quæ dicit convenientiam perfectionis
 ad rem ipsam.*

Ἐξέλιξις.

§. I. Præfloratis igitur iis, quæ ad bonitatis existen-
 tiam facere videbantur, rectè nos nunc convertimus ad ejus
 essentiam, quæ in definitione habetur. Duplex autem à no-
 bis hic proponitur definitio: Alia Nominalis, alia Realis.
 Circa nominalem occupata est Etymologia, Synonymia &
 Paronymia. Quod ad Etymologiam attinet, comunitè de-
 ducunt Grammatici vocabulum *Boni seu Bonitatis à boando,*
quod quasi bōet ac clamet, ac si omnes ad se allucere velit, quo sen-
 su etiam quidā τὸ ἀγαθόν & τὸ καλὸν explicare conantur. Di-
 cunt enim ἀγαθόν dici quasi ἄγαν ἄξιον θεῶν, dignū multā spe-
 ctatione, vel ἄξιον ἄγαν ἵεθῆν valde dignum, ad quod cur-
 ramus: Et καλὸν dici διπὸ ἵεθῆν, quod demulcet appeti-
 tum, vel διπὸ τῆς καλεῖν, quod animos provocat ad se appeten-
 dum, *vid. Scalig. Exerc. 300. sect. 3. Cælius Rhodig. lib. 24. antiq.*
lect. c. 7. Alii κατ' ἀντίστοιχον deducunt à dono eo, quod vete-
 res bonum quasi *Dnonum* dixerint, sicuti è veteri Pœta
Festus citat: simul duona eorum portat ad naves. Et non abs re
 scribi putat *Camerarius Dnonum.* Dicit enim dici à duo-
 bus

bus nempe ab entitate ipsa & à superaddita connotatione alicujus in ordine, ad quod producta Entitas hanc ipsam denominationem Boni sortitur. Sed in istis subtilitatibus non adeò hæret Philosophus quam Criticus, siquidem iste magis attendit res, quàm rerum voces. Idcirco & nos hunc ingenii lusum impræsentiarum mittimus.

§ II. Boni Etymologiam seu enuncleationem ex instituto Logicorum excipit Synonymia, seu quæ univoce de Bonitate dicuntur. Et primo quidem hic sese offert *bonum*, quod reverà Bonitatis est Synonymum. Licet enim bonum concretivè aliàs sumatur, hic tamen non ita, sed substantivè & in abstracto consideratur, uti in aliis quoq; disciplinis frequenter fieri solet, ut neutra absolutè posita supponant pro substantivis & abstractis. *vid: Plur. Rev. & excell Dn. D. Scharff. in Theor. transc. disp. 8. p. 417.* Deinde sequitur *perfectum*, quod pro diversa acceptione ipsius Bonitatis Synonymum meretur. Cautam vero hic adhibeamus oportet cautelam, ne à confusione Minotauro decipiamur. Bonitas enim sumitur dupliciter [1.] *Materialiter, fundamentaliter seu absolute* & in se, quatenus nempe in suâ Entitate & perfectione dicitur [2.] *Formaliter* seu respectivè, vel respectu alterius, & sic per convenientiam quandam declaratur. Sic *Perfectio* quoque duplici gaudet acceptione; [1.] accipitur pro eo, cui nihil deest, & tunc perfectum dicitur, non quodlibet bonum, sed illud, quod unum ex parte consummatum est, quodvè actu perfecto prædictum est. Hanc perfectionem vocat *Tasaretus 2. Ethic. c. 1. secundam*. [2.] pro eo, quicquid habet perfectionem simpliciter necessariam & essentialem sub quadam Entis ratione. Quæ à *cit. Aut.* vocatur *perfectio prima*. Non priori, sed posteriori modo bonum & perfectum æquipollent. Nec officit nostræ sententiæ, quod nonnulli objiciunt, Perfectionem non esse Synonymum Bonitatis, quia, ut putant illi, non omnia Entia, quæ dicuntur perfecta, statim sunt bona; Nam Diabolus est Ens perfectum, & tamen est pessimus. Nos distinguimus saltem inter perfectionem moralem, & transcendentalem seu essentialem: quoad primam dicitur pessimus, quoad secundam

perfe-

perfectus omnino habetur, quia adhuc habet illam substantiam spirituales, quam per creationem accepit.

§. III. Ad ultimum definitionis nominalis membrum nos nunc, accingimus, nempe ad ipsam Homonymiam seu æquivocationem. Certum enim omnino est, Bonitatem ambiguitatibus non esse destitutam, quia est nomen aliquod commune multis. Jam vero quæcunque sunt communia multis, ea citra dubium ad homonyma referuntur. Accipitur enim (1.) Bonitas pro bonitate *spirituali*, quæ per gratiam DEI specialem in nobis excitatur, de quâ Theologi proluxiores sunt. (2.) pro bonitate naturali, pro perfectione corporum naturalium, hoc est, quatenus rei naturam & quidditatem in sese perficere, & in congruentiam quadam ejus consistere dicitur; qualis e. g. bonitas in animali est Sanitas, robur, pulcritudo & quæ sunt alia. Et hæc bonitas oppositum habet defectum vel morbum aliquem naturalem. (3.) pro bonitate *moralis*, quam Philosophi etiam vocant meritoriam, hoc est, illam, quæ in moribus & voluntate ejusque actionibus conspicitur, cujus tot sunt species, quod virtutes morales. Et hæc propria est hominum, diciturque ordinem ad voluntatem, ut modo dictum vel ut Scaliger dicit: *est Perfectio actus cum rectâ ratione, & appellatur habitus*; Est enim Qualitas animi ad agendum cum rectâ ratione. Cui denique opponitur vitium morale. (4.) pro bonitate *intellectuali*, quæ ab intellectu unice dependet, cujus etiam tot sunt species, quot sunt virtutes intellectuales, ut: *Intelligentia, scientia Sapientia, Prudentia & Ars*. (5.) pro bonitate *artificiali*, quæ vulgò describitur, quod fit congruentia rei cum præceptis artis: Sic e. g. bona vestis est, quæ conformata est secundum leges artis sartoriæ. Sed has acceptiones omnes hic non attendimus, tantum loquimur de bonitate *transcendentali & Metaphysica*, in quantum nempe præcisive omni competit enti, ita ut dicere possum: O. Ens est bonum, & quicquid non est bonum, ne quidem Ens est. Et hæc nulla oppositione afficitur siquidem nullum est malum, quæ huic bonitati aliqua oppositionis proprie ita dictæ specie possit opponi. Datur quidem malum, quod est privatio alicujus boni determinati, sed non datur malum boni indeterminati & transcendentalis.

§ IV.

§. IV. Haecenus ergo vidimus evolutionem nominis, confectionem nunc est, ut ipsam rem paulo accuratiori mentis obrussa ponderemus. Uti autem in omni definitione reali ad duo semper habetur respectus, nempe ad ipsum materiale & formale, ita etiam hic loci illud à nobis negligi non debet. *Materiale* autem Bonitatis est ipsum Ens, quod bonum involvit, tanquam affectio transcendentalis, cujus materiale semper est ipsa essentia. Quod autem ipsum Ens seu Entitas Bonitatis materiale indubitato constituat, probant sequentes hypotheses. (1.) quia bonitas alias foret Ens compositum, si praeter entitatem aliud materiale susciperet. (2.) quia sic duplex materiale concedendum esset, nim: Ens ipsum, cum omne Ens dicatur bonum, cum Entis affectio sit Bonitas; & alia praeter ens dictum materialis ratio. Absurdum autem est & prorsus in Scholis Philosophorum inauditum, cuidam Enti duplicem materiale rationem affingere. (3.) si Ens non esset materialis ratio, Bonitas revera nihil esset, cum nullam novam entitatem vel realitatem simplicissima Entis natura permittere possit. (4.) quia omnes ferme saniores Metaphysici, excepto Hervæo, qui materiale hoc venditat pro formali, constanter hoc asserunt. Positis itaque his hypothesisibus, non potest etiam non poni ipsa Entitas, quae est materialis ratio bonitatis.

§. V. Ad *Formale* Bonitatis quod attinet, de eo inter Metaphysicos multum disceptatur, & tot ferè natae sunt sententiae, quot ex equo Trojano prodire armati, ut suo seculo *Seneca ep. 113.* hac de re ita scribere non fuerit veritus: *Queramq;* inquit, *quid sit bonum; varia ejus interpretatio fuit, finivit hoc alius alio modo, alius illud aliter expressit &c.* Fert igitur animi lubentia in hanc palæstram nonnullos unam cum eorundem sententiis producere. Primus omnium se sistit Seraphicus ille Papicolarum Doctor *Thomas part. 1. quest. 5 a. 1. corp.* qui dicit: *Ratio boni in eo consistit, ut aliquid sit appetibile.* Sed eum ejusque animi foetum ne utiquam probamus. Nam nulla formalis ratio est posterior illa re, cujus est formalis ratio. Formalis ratio est primus rei conceptus. Jam verò appetibilitas est posterior

terior bono; ideo enim res est appetibilis, quia est bona, non vero contra. Deinde dicimus, quod iste confundat consecuti-
vū statum cū constitutivo. Concedimus quidē ambabus ma-
nibus, quod appetibilitas bonum consequatur, negamus ve-
ro quod id constituat. Denique distinguimus inter appetibi-
litate[m] formalem & fundamentalem: quoad fundamentale[m],
quia illa est ratio intrinseca, ob quam res appetitum alicujus
movere potest, aliquo modo concedimus, quoad formalem
verò penitus negamus. Huic nunc succedit *Durandus in 2. sent.
dist. 34. quest. 1.* & aliam à Thomæ sententiâ distinctam formali-
tatem amplectitur. Dicit enim; *Rationem Bonitatis consistere
in aliqua relatione reali enti super positâ.* Verum & iste à vero
aberrat; ideoq; ejus sententia ad Anticyras mittēda. (1.) quia
enti in quantum Ens est [quod ambitu suo, quicquid reale & po-
sitivū est, complectitur] nō potest aliquid reale sive absolutū
sive relativum ab affectionib⁹ superaddi. (2.) quia hæc relatio
de Bonitate in primo modo per se dici non potest, aliàs omni-
oportet competere bono, nihilque nisi eâ positâ, bonum esse
ullo modo vel audire potest. At verò hoc falsissimum est, dari
posse aliqua, quæ verè sunt bona, licet tali relatione destitu-
antur. Sic v. g. hoc vel illud instrumentum bonum esse potest
citra talem relationem, quia ad omnem relationem requiri-
tur terminus: Jam vero si nemo actu isto uteretur instru-
mento, nihil relationem illam posset terminare, & ita illud
bonum esset citra realem relationem. Ea propter cum sine
tali relatione dari possit Bonum vel Bonitas, ultrò patet, ra-
tionem formalem Bonitatis non consistere in ea, secus enim
esset & simul non esset, quod inter ἀδύνατα referendum. Acce-
dit (3.) quod hac ratione progressus fieret in infinitum, quia
si Bonitas abstractivè sumpta esset relatio realis, tunc sequere-
tur, quod ista relatio esset Ens, & eo ipso includeret bonita-
tem, de qua itidem dicendum, quod esset Ens, & Bonitatem
transcendentalem haberet, & sic omninò infinitus daretur
progressus. *Vid. si placet, magni illius Philosophi Dn. D. Jacob.
Mart. partit. Met. lib. 1. sect. 6. quest. 1. Arnisei Epit. Met. de
Bono p. 171.* Tertius nunc prodit *Fonseca*, qui iterum aliud ex
inge-

ingenii sui cerebello producit Bonitatis formale, dum ita *IV. Met. c. 2. quest. 7. sect. 4. & 5.* scribit: *Bonitas est relatio rationis convenientie unius ad alterum.* Neque & hic rem tangit. Nam relatio rationis est aliquid à mente confictum, & Ens rationis, quod nec est nec esse potest. Absonum igitur est Ens rationis & id, quòd à mente confictum est, Bonitatis formale statuere velle, siquidem bonum citra mentis operationem reverà existit, etiamsi nemo nostrum cogitet. Deinde neq; Bonitas sumta abstractivè, præcise & formaliter potest esse relatio rationis, quia sic Bonitas superadderet Enti fictum aliquid, quod iterum absurdum. Denique addimus & hoc, quod hoc pacto Bonitas non esset realis & positiva, sed purum putum nihil & merum Ens rationis, quod autem nemo dextrè Philosophantium facilè concedit. Hos omnes denique sequitur *Clemens Timplerus* & agmen quasi claudit, scribens *lib. 2. Met. c. 9. quest. 6.* *Bonitas est qualitas, per quam Ens est appetibile.* Hic nunc verissimã, si Diis placet, exoscultatur sententiam. Nam quomodo Qualitas, ut accidens, potest esse Bonitatis forma? siquidem Qualitas est aliquid extrinsecum, forma autem debet esse intrinseca, quia est principium internum, quod essentiam rei ingreditur. Jam verò Qualitas non ingreditur essentiam ipsius Bonitatis, sed eam saltem cõsequitur. E. nō est forma. Deinde Polylogias evitandæ gratia distinguimus inter Bonitatem accidentalem, quæ per modum formæ qualitativè rebus inest ut Accidens, & inter Bonitatem essentialem, quæ competit Enti quatenus est tale, per modum passionis tantum attributivè: Priori modo taliter qualiter *Timplerus* excusandus, posteriori vero accusandus est. Denique *Timplero* opponimus & hoc, quod, si concederetur, qualitatem esse de essentia boni, hac ratione novam Enti superadderet Entitatem, cui entitati novæ nova iterum attribuenda esset Bonitas, quod *ἡ φιλόσοφος*.

§. VI. Nunc restat, ut nostrum *ἐπιβάλλον μέρ* de Formali Bonitatis adjiciamus. Illud autem præviis & prælucentibus Præceptoribus nostris statuimus consistere in *convenientia Entis perfectæ* vid. *suprà* citatum atque laudatum

Dn. D. Scharf. in Theor. transc. diff. 8. p. 432. D. Jacob. Mart. in part. Metaph. lib. 1. sect. 6. quest. 1. Convenientiam autem esse ipsius Bonitatis formale his sequentibus ratiociniis, tanquam firmis arietibus probatur & propugnantur.

Quicquid convenit Bonitati in primo dicendi modo, ac cum eâ reciprocatur, in eo consistit Bonitatis formalis ratio.

Atqui convenientia convenit Bonitati in primo dicendi modo ac cum eâ reciprocatur. E.

Major est $\epsilon\upsilon\delta\eta\lambda\omicron$. Minor quia bimembris, ideò quoad singula probatur. Quoad prius membrum probatur ex hoc, quia convenientia omni competit Bono, ac primò in eo concipitur, nihilq; se agnoscit prius, à quo dependeat & ex quo fluat. E. Quoad posterius, nempe quod convenientia cum Bonitate reciprocetur, dico, quod nemo negaverit facile, omne bonum esse alicui conveniens, & quicquid alicui convenit, ipsi bonum esse.

Alterum argumentum pro stabiliendâ hac convenientiâ potest esse tale: Sine quo Bonitas nec constitui nec concipi, nec ab aliis distingui potest, illud est ejus formalis ratio.

Atqui sine ratione Convenientiæ Bonitas nec constitui, nec concipi nec ab aliis distingui potest. E.

Major indubitatè vera est. Minor probationis indiget, ideoque eam probemus oportet. I. dico: Sejunctâ ratione convenientiæ conceptui nostro nihil remanet nisi nudum Ens nec distingui à reliquis attributis & Ente potest à priori. Deinde ex eo colligo, quia Convenientia est proximum fundamentum & causa appetibilitatis. Nam in omni bono nihil invenitur aliud, quod causa appetibilitatis esse possit, quam convenientiâ. Ideò enim appetimus aliquid vel nobis vel aliis, quia nobis vel aliis, quibus appetimus, id convenit, vel saltem convenire putamus. E. relinquitur quod Convenientia Bonitatis formale verissimè absolvat. Plura qui de hoc desiderat, adeat modò accuratiores Metaphysicos, nominatim B. Dn. D. Jacob. Mart. in part. & Exerc. Metaph. Excellentiss. Dn. D. Scharf. Calovium & alios. Pagellæ nostræ impares

res

res planè sunt omnia hic, quæ monenda forsitan' essent, sub-
scribere.

§. VII. Brevibus ut etiam explicemus illud, quod in
theoremate nostro posuimus, nempe quod Bonitas sit con-
venientia perfectionis; quamnã hic potissimum intelligimus
perfectionem; dicimus quod *non omne Ens obtineat quamvis
perfectionem, nec absolute & simpliciter perfectum sit.* Ut inquit
Geilfus. in Contempl. Philos. primæ. p. 73. Ideoque omnem hic
removemus perfectionem accidentalem & gradualem, om-
nem moralem, naturalem, quantitativam, qualitativam &
perfectiones omnes secundas, juxta quas Ens tantum habet
ea, quæ ad τὸ εἶναι requiruntur, & accipimus hinc perfectio-
nem transcendentalem, entitativam, essentialem & perfe-
ctionem primam, seu actualem essentialis positionem, secun-
dum quam Ens habet ea omnia, quæ ἀπλῶς & absolute ad
esse rei primum & ultimum sunt necessaria.

THEOREMA III.

Dantur Bonitatis certæ proprietates.

Ἐξέλιξις.

§. I. Quando de quidditate & Essentia Bonitatis us-
que huc à nobis actum, ceterioris etiam considerationis erit,
ut exponamus ea, quæ ejus essentialiam consequuntur. Bonita-
tis autem proprietates nemo facile negabit, & si quis nega-
ret, certè cerebrum in calcaneo gestaret. In duplici verò à
Philosophis statuuntur esse differentia: *Aliæ generales, aliæ
speciales.* *Generales* vocantur, quæ & reliquis affectionibus in
latitudine suâ competunt, & harum sunt tres: *Realitas, Di-
stinctio & Reciprocatio.* *Speciales* sunt, quæ in specie & solitariè
Bonitati competunt, & reliquis affectionibus tam unitis,
quam disjunctis denegantur, cujusmodi sunt *Appetibilitas
& Communicabilitas.*

§. II. Ad primam igitur Bonitatis affectionem generalem, *Realitatem* nempe, quod attinet, dicimus & probamus, quod ista Bonitati verè competat. (1.) quia Bonitas est realis; Jam verò si Bonitas est realis, sequitur etiam quod habeat affectiones reales: nihil enim est in effectu, quod non antea fuerit in causis. Notandum tamen, quod ista realitas Bonitati non superaddat novam aliquam entitatem ab Entitate subjecti distinctam: Sicut enim non sequitur: Misericordia, justitia omnipotentia &c. in Deo sunt reales, quod ex earum operationibus manifestum est. E. novas inferunt entitates ab essentia Dei discrepantes. Deus enim, uti notum, est simplicissimus, adeoque omnis compositionis, tam Physicæ, Metaphysicæ, quàm Logicæ expers; ita quoque non sequitur, quod Bonitas ab Ente realiter distinguatur; Distinguendum igitur est inter affectionem Entis realem, & realiter ab Ente distingui. Accedit & hoc, quod, quando Bonitas dicitur affectio realis, hoc modo fiat, quia non fit à mentis fictione aut intellect^o operatione, sed ante eam in rebus fundatur & existit.

§. III. Deinde ad affectiones seu proprietates Bonitatis generales refertur *Distinctio*. Nisi enim ab Ente distingveretur Bonitas, tunc statuendum omninò esset, quod ista Enti vere æquipolleret & Synonymum ejus esset. Hoc autem nemo hactenùs Philosophorum concessit, ergò statuendum est, quod revera illa ab Ente distinguatur. Ubi tamen iterùm observandum, quod ista distinctio non sit realis, aliàs enim diversam quidditatem aut essentiam Bonitas ab Ente obtineret; sed formalis, quia Ens in suo conceptu eam non includit; ideoque Bonitas & Ens distinguuntur saltem conceptibus, ut alium mihi formem conceptum de ente, & alium de Bonitate. Denique distinguendum inter distinctionem rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ: Non prior est attendenda, quia illa saltem est circa ea, quæ differunt secundùm modum concipiendi: v g. homo & animal; sed posterior, quia illa non tantum est eorum, quæ secundum nostrum con-

con-

concupiendi modum sunt diversa, verum etiam, quæ diversas habent significationes, fundamento tamen in re ipsa præsupposito.

§. IV. Tertia & ultima affectio Bonitatis generalis est *Reciprocatio*. Quod autem ista Bonitati competat, collectu facile est. Verè enim dicere possum: Omne Ens est bonum (creatum & increatum, substantiale & accidentale.) Adeò ut nec vitiosis actibus & habitibus Bonitas, sc. entitativa & Transcendentalis, negari possit. Et vice versa: O. Bonum est Ens. Implicat enim Bonitas entitatem, nec quicquam potest per se & verè bonum dici, quod non sit Ens. Reciprocatur autem aliquid cum aliquo triplici modo: vel *conceptibiliter*, vel *essentialiter*, vel *denominativè*. Quærimus, qua ratione Bonitas cum ente reciprocetur? Dicimus breviter, quod non tam essentialiter, quàm Ens & bonum dicunt eandem naturam & essentiam, quam denominativè, quàm prædicato uno nempe Ente, prædicetur etiam alterum nempe Bonitas, reciprocetur. Idcirco in propositulo nunc est, ipsoque, quod adjunt, solis disco positum, quòd hæ tres proprietates Bonitati revera competant.

§. V. Nunc ad speciales Bonitatis proprietates accessum facimus. Quare autem speciales dicantur, in præcedentibus dictum est, ideoque tautologiam committere nolumus. Fundamentum & causam harum proprietatum collocamus in *convenientia*, quia omne Bonum propter convenientiam suam est appetibile & communicabile. Hinc eleganter sæpius citatus atque laudatus Dn. D. Scharf. in *Theor. transf. disp.* 8. p. 441. de appetibilitate scribit: *Appetibilitas exinde est proprietas Boni quia Bonitatem insequitur, tanquam suam radicem & est posterior Bono. Supponit enim Bonitatem tanquam suum fundamentum, cui ulterius aliquid addit, nempe respectum ad appetitum, vel etiam formalem denominationem sumtam ex proportione & convenientia talis Boni cum tali appetitu. Quem respectum vel denominationem Bonitas formaliter non dicit, sed id solum, quod est proxima radix istius denominationis,*
nem-

nempe convenientiam. Tandem concludit: *Ita comparata sunt omnia per naturam suam, ut sibi conveniens appetant.* Ubi tamen notandum, quod Appetibilitas illa non sumatur pro appetitu actuali, siquidem non semper bonum actu appetitur, sed pro appetitu aptitudinali & potenciali, qua aliquid aptum natum est appeti. Et hæc appetibilitas supponit Bonitatem tanquam suum fundamentum cui superaddit respectum ad appetitum. Plura vid. in modò cit. autore & aliis.

§. VI. Altera specialis ipsius Bonitatis affectio est *Communicabilitas*, quæ ex mutua rerum ad se invicem convenientia orta facit, ut bonum etiam alteri communicari possit, cum quo nempe naturalem aliquam habet proportionem. Interim tamen notandum est, quod licet res inter se quàm maximè convenientur vel ob generalem entitatem, vel ob speciales quasdam conditiones, quas amicabili amplexu inter se fovent, tamen non statim individualem suam bonitatem aliis communicare possunt aut debent. Ideoque distinguimus inter communicabilitatem individualem & specialem & analogicam: Non individualiter bona aliis communicantur, tamen specialiter ea aliquis sibi assimilare potest, si non naturæ necessitate, tamen delectu & libertate, si non κλίσει: tamen χήσει, sicut passim docetur. Et hæc de proprietatibus ipsius Bonitatis tam generalibus, quàm specialibus.

THEOREMA IV.

Bonitatis divisiones variæ dantur.

Priusquàm receptui canimus, aliquid etiam de Divisionibus Bonitatis dicendum est. Et quidem paucis. Varios Bonum admittere gradus & distinctiones in aprico est: Modò enim Bonitas dividitur in veram & apparentem, modò in transcendentalem, naturalem & moralem, modò in se talem, & in ordine ad aliud seu alicui alteri, modò in honestam,

Itam, jucundam & utilem, & alias multas. Sed hæ omnes divisiones impresentiarum ad nostrum palatum non sunt, tantum illam Bonitatis divisionem pro ingenii nostri captu, qua bonitas dividitur *in bonitatem per essentiam & per participationem*, explanabimus. Bonitas autem per *essentiam* definitur quod sit *independens rei convenientia*, sive est ejusmodi bonum, quod à se ipso & per seipsum summè bonum est. Quale bonum soli DEO competit. Deus enim primò & independenter à se ipso habet bonitatem, & in eo omnis perfectio est, inquit subtilitatis Magister Scalig. Exer. 359. De hoc Bono loquitur Christus Matth. 19. quando dicit: Nullus bonus est, nisi solus DEUS. Est enim summum bonum, extra quod nihil bonum est, nisi ad Bonitatem DEI referatur. Est idea & exemplar Bonitatis, quia ex eo omne bonum relucet. Cùm ergo ita comparatum sit, quod hæc omnia, quæ diximus, de DEO verificentur, cuius ad oculos adparebit, quod Deus nullo modo mali causa dici possit. Quod etiam divinus Plato, licet aliàs Ethnicismo totò consecratus, intellexisse creditur, quãdo in lib. 2. de Republ. in hæc verba erupit: *Omni contentione pugnandum est, ne quis civitate, quæ bene regi debet, vel dicat vel audiat, sive senex, sive juvenis, sive in poemate, sive in alio sermone, Deum esse, causam malorum, quia hoc neque sanctè ita dici potest, neque utile est civitati, neque secum consentit in explicatione.* Bonitas vero per *participationem* est *dependens rei convenientia*, sive est ejusmodi rei convenientia, quæ communicatur & participatur ab alio, qualis Bonitas omnibus creaturis est propria. Ideoque quando deferuntur à DEO, à quo unicè dependent atque participant, vergunt ad lapsum & interitum juxta illud tritum: Cessante natura naturante cessat natura naturata. Hæc distinctio notanda est contra eos (1.) qui asserere non erubescunt, quod nihil sit vere bonum, nisi sit infinitum. Verùm isti loquuntur saltem de bonitate per *essentiam*, non per *participationem*. (2.) contra eos, qui dicunt creaturas non esse bonas intrinseca sc. bonitate & essentiali sed saltem extrinseca & accidentali, cùm non sint bonæ per *essentiam*. Sed

C

fi

in hoc concederetur, tunc omnino sequeretur, quod in tota
mundi machina ratione hac nihil bonum esset, quod
autem est absurdum. Hic subsistimus & di-
sputationis nostræ filum abrum-
pimus.

Deo omnis boni auctori gloria!



Ad

*Humanissimum Dn. Respond. Philos. Candidatū,
Affinem & Amicum meum publicè de Bo-
nitate disputantem,*

Vivis ut egregiâ Phœbi Studiosus in urbe,
Bis signa absolvit Sol duodena poli.
Tempore Te tanto didicisse fideliter artes,
Ipse tuus testis maximus esse volo.
Hinc quoque jure petis clarissimaserta Ma-
gistri,
Imponit capiti quæ bona dextra tuo.
Actio grata Patri notisque penatibus ista,
Et Werdermannis gaudia mille parit.

*Michael Wendelerus
D. & P. P.*

De

DE Bonitate Tibi que dissertatio nata est,
Te sacrum studiis iudicat esse bonis.
Es bonus atque tuam Bonitatem ritè tueri
Suscipis, accipiet Laurea ferta caput.

suo Faselto,
amico unicè dilecto f.

M. CHRISTIANUS Schulz/ Zanov. Pom.

CUm sis naturâ bonus & virtute, FA-
SELTE,

Utramque hîc removes à bonitate Tuâ.
Sic benè discurret, removet qui talia mente
Quæ tamen ipsâ re possidet atque colit.
Tu, cœptis insta. Tibi, faxint optima Fata,
Omne quò cedant myrthea ferta bono

Ita
Præstantissimo Dn. Respondenti, ami-
co suo fraternè dilecto, accinit.

M. Samuel Fritsch/ S.S.
Theol. Stud.

Sic voluit natura Parens: sine cæde Trium-
phus

Non venit, Ignavis nulla corona datur.
Hinc redè Aonidum repetis, FASELTE, palæ-
Et nova bella cies, qui modò victor eras. [Stras,
Dum bene de Bonitate docens inbianque Tro-
phæa,

Nonnisi danda Bonis, nulla pericla times;
Pecto-

*Pectore sed forti conaris vincere Martem,
Vincis, & hinc præstas nobile laudis opus.
Mirantur Musæ, Præses meditatur Apollo
Digna Tuis meritis clara brabea Tibi.
Gratulor ergò Tibi letum pæana canendo:
Hæc Tua parta beet Numinis alma manus!*

*Honoris & Amoris ergò
Dn. Autori & Resp. Amico & conter-
raneo per dilecto.*

f.

*Jochimus Wesenbergius
S.S. Theol. Stud.*

Sic iterum Cathedram conscendis, docte
FASELTE,

*Promis & ingenii munera pulchra Tui.
Rectè; nimirum præclara quiescere virtus
Nescia: in obscuro nec latitare potest.
Gratulor ergò TIBI: Feliciter omnia cedant
Porro Tuis studiis, quod velit ipse Deus!*

*Pereximio ac præstantiss. Dn. Responden-
ti, Philosoph. Candidato dignissimo;
Fautori suo & Amico animitus dile-
cto*

f.

Samuel Kohlius Lommacio-Misn.

Coll. diss. A. 122, misc. 54